



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Christliche Sitten- und lehrreiche Predigen ... durch das  
gantze Jahr**

**Schmitz, Michel**

**Augspurg [u.a.], 1748**

Prooemium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75960](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75960)

# PROOEMIUM.



Constitutum fuerat venerando Nomini Reverendissimi, & Illustrissimi Domini, D. *Lotharii Friderici de Nalbach* Episcopi Emmaufenfis, Suffraganei Trevirensis, insignium Ecclesiarum SS. Paulini & Simeonis Decani dignissimi &c. &c. Opus meum concionatorium inscribere: Feceratque mihi etiam ad id veniam Præsul humanissimus. Sed priusquam typus videret finem; eripuit Diœcesi, & Patriæ Virum longiori vitâ dignissimum tam inopina, quàm præmatura mors. Nec tamen ideo consilium mutare volui; sed quod viventi offerre non licet, piis defuncti Præsulis Manibus, ejusque spectatissimis virtutibus, ac dotibus, religioni, zelo Apostolico, sapientiæ, prudentiæ, modestiæ, fortitudini, eximiæ sacre, & profanæ scientiæ tributum & homagium offero, dedico, confecro. Longiorem Panegyrim non unâ de causâ omitto texere: fatis illud sit: utinam plures ejusmodi haberet Ecclesia Dei Episcopos!

De Opere ipso illud profiteor; non esse id tale, ut magis elimatum prodire non potuisset; si infirma valetudo, & rupta in pectore vena, quæ me filere in ambone coëgit, majorem contentionem fuisset passa. Nec id egi primum, ut Opus typo pararem; cùm Medici vix paucos vitæ menses mihi superesse augurarentur: aliis primum ver, aliis autumnum mihi fatalem fore, pronunciantibus. Ego interim otii charo mihi, & ameno labore fallendi gratiâ cœpi hinc inde addere, demere, mutare pauca; sperans futurum forsitan, ut aliorum privatis usibus servirem, & laboribus non nihil parcerem: cùmque vitam Medicorum augurio longiorem concessisset vitæ, mortisque Dominus, ad umbilicos rem deduxi. Viderunt laborem meum plures, & publico non inutilem, nec ingratum fore judicârunt. Placuit ergo, annuentibus Superioribus, Censuram judicium experiri. Cùm id typo favisset; persuaderi mihi passus sum, ut juris publici fieret; quo aliorum id linguis ex parte consequeretur, quod ipse deinceps præstare non possem. Quodsi prior hic Tomus non displicuerit, sequetur alius magis elimatus, qui & ipse prope ad metam laboris est. Illud autem moneo: exegetes morales sæpius inchoatas, & indicatas potius, quàm fusiùs deductas; quòd nullâ id ratione consequi possem, ut locis omnibus templisque servirem. Quisque ergo sui & suorum rationem habebit, & vitia, errores, defectus, eorùmque reprehensionem pro suggestu adducet, ut viderit, loco, temporique congruere. Vale & Deum pro me diligenter ora.

## PROTESTATIO AUTHORIS.

**P**rotestor me inhære Decreto *Urbani VIII.* Pontificis Maximi, omniâque, ut obedientem filium decet, S. Romanæ Ecclesiæ judicio ex animo subjicio: quæque illa rejecerit, jam nunc pro rejectis & non dictis haberi volo.

Summa